



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De solutione carnalis debiti. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

DE SOLVTIONE CARNALIS DEBITI.

DISTINCT. XXXII. A

Sciendum etiam est, quia cum in omnibus alijs
 Vir præsit mulieri, vt caput corpori. est enim vir
 caput mulieris, in soluendo tamen carnis debito
 pares sunt. Ideo Apostolus vtrique pariter præcipit
 in hac causa sibi inuicem subiici, inquit. Vir de-
 bitum reddat vxori, similiter & vxor viro: quia
 mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir:
 similiter & vir non habet potestatem sui corpo-
 ris, sed mulier: quia nec mulier ad alium virum,
 nec vir ad aliam mulierem potestatem sui corpo-
 ris habet: nec vir ad continendum, nec mulier po-
 testatem habet sine mutuo consensu, sed alter al-
 terius potestatem habet corporis, vt poscenti al-
 teri non liceat alteri negare debitum. In hoc enim
 pares sunt, quia nec viro, nec mulieri corpus su-
 um licet alij tradere: sed sibi inuicem debitores
 sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio. Per
 quod non dominium tollitur viro, sed vitium.
 Debent enim sibi coniugati non solum ipsius se-
 xus sui commiscendi fidem liberorum procrean-
 dorum causa, quæ prima est in ista mortalitate so-
 cietas: verum etiam infirmitatis inuicem exci-
 piendæ ad illicitos concubitus deuitandos, mu-
 tuam quodammodo seruitutem: vt etsi alteri eo-
 rum continentia placeat, nisi ex alterius consensu
 non possit. Ad hoc enim neuter habet potestatem
 sui corporis: quod adeo verum est, vt etiam quod
 non filiorum procreandorum, sed infirmitatis &
 incontinentiæ causa experit, vel ille de matrimo-
 nio, vel illa, non sibi alterutrum negent, ne per
 hoc incidant in damnabiles corruptelas. Reddere
 enim debitum coniugale nullius est criminis: exi-
 gere autem vltra generandi necessitatem, culpæ
 est venialis. Fornicari vero vel mœchari, punien-
 di est criminis.

1. Cor. ii. 3

1. Cor. 7. a

Aug. in libr.
 de bono con-
 iuga c. 6. in
 tom. 6.

Ibid. c. 7.